

cumstantiis supra positis, quæ nostram doctrinam veram esse comprobant.

XXIX. Ad primam confirmationem respondetur quod Scriptura potest dupliciter considerari. Primo, secundum se, ut est pure instrumentum inanimatum, id est, prout invenitur scripta in chartis, et codicibus, quæ secundum se patent corruptelis, et depravationibus hominum, et sic ratione hujus libri materialis in quo continetur et invenitur Scriptura, est certum, quod patet multis corruptionibus, et depravationibus. Alio modo sumitur Scriptura non præcise, ut est in chartis, et codicibus istis, vel illis in individuo, sed prout invenitur in peccatore Ecclesiæ et in ejus custodia, quæ in se habet principium, unde possit corrigere omnes corruptelas Scripturæ; tum propter diversitatem, et antiquitatem codicum quos habet; tum propter assistentiam Spiritus Sancti. Et sic Scriptura non patet depravationibus, et corruptelis, quia subest correctioni Ecclesiæ, et directioni ejus. Et ita est differentia inter hanc Scripturam individualiter sumptam in hoc, vel illo codice, et de hac Ecclesia individualiter sumpta cum hoc capite, qui est successor Petri. Nam de Scriptura non constat nobis hunc, vel illum codicem, non esse vitiatum in individuo ex vi ipsius Scripturæ; de ista vero Ecclesia in individuo, et de isto capite Romano Pontifice, constat in individuo esse legitimam, et infallibilem Ecclesiam, tum ex ipsa Scriptura, quæ in individuo designat Petrum pro infallibili capite Ecclesiæ, et consequenter ejus legitimos successores, et sine dubitatione acceptatos, quam acceptationem experimur manifeste quando datur; tum ex continuata, et perpetua traditione per tot sæcula, quæ indubitatum relinquit,

Scripturam illam, quæ docet Petro traditas esse claves Ecclesiæ non esse corruptam, sed certam, quia sic semper habita, et lecta est, et ab universali Ecclesia proposita, et intellecta ut jacet; de quo 2-2 amplius dicitur.

XXX. Ad secundam confirmationem dicitur quod licet aliquando fuerit dubitatum de aliquibus libris, an essent canonici, nunquam tamen dubitatum fuit esse in Ecclesia potestatem ad id declarandum, et ad confirmandum fratres in fide, de quo articulo III sequenti. Unde illa dubitatio potuit per omnimodam certitudinem tolli declarante id et definiente Ecclesia.

XXXI. Secundo arguitur, quia miracula non sufficiunt probare certitudinem nostræ fidei, quia etiam qui alias doctrinas docent aliquando faciunt signa, et prodigia magna, ut dicitur Matth. xxiv, et præcipue fient in tempore antichristi. Quod si dicatur illa miracula esse falsa, et nostra vera, contra est, quia de hoc ipso est dubium, si quidem multa aliorum miracula sunt omnino sicut nostra, nam illuminatio cæci, quæ videtur esse certum miraculum dicitur facta a Vespasiano principe, ut narrat Tacitus, lib. iv. histor. Et resuscitatio mortui significatur facienda ab antichristo, Apocalyp. xiii, dum dicitur: *Quoddam ejus cornu occisum, et plagam meritis ejus curatam.* Et similiter faciet ignem descendere de cælo. Et a quadam virgine vestali fuisse portatam aquam in cribro, sine hoc quod aqua caderet in signum suæ pudicitiae, refert ex Varrone Augustinus xxii de civitate, c. xi. Quod si dicatur illa miracula dici falsa non in se, sed quia falsam prædicant doctrinam cui non est credendum, etiam si vera miracula faciant. Contra est, quia in hoc enervatur tota nostra doctrina, si quidem jam fatemur posse veris mi-

raculis confirmari falsam doctrinam. Et committimus circulum, dum probamus nostram doctrinam esse veram, quia miraculis comprobatur, et rursus miracula esse vera, quia nostram doctrinam confirmant. Confirmatur, quia modo cessaverunt miracula, etiam cum prædicatur infidelibus, miracula autem, quæ ab initio facta sunt illis non constant nec possumus ea probare per Scripturam, quia infideles illam non recipiunt, sicut nec fidem, per historias autem humanas id probare est niti auctoritate fallibili; ergo ista probatio deficit.

XXXII. Respondetur certissime tenendum esse quod miracula, quæ fiunt a pseudopphetis, et fient ab antichristo esse falsa et mendacia, ut dicitur II ad Thessalonicenses II. Quæ dicuntur mendacia, ut ibi explicat D. Thomas, lectione II, vel quia deficiunt a vera ratione facta, ut cum fiunt per illusionem, et deceptionem, vel quia deficiunt a vera ratione miraculi, quia scilicet non transcendunt totum ordinem naturæ, licet in se sint valde mira, vel quia deficiunt a debito fine miraculi, quia fiunt propter aliquam seductionem iniquitatis. Ad discernendum autem ea quæ sunt vera miracula, id est, supra totam vim naturæ ab his quæ præter ordinem naturæ, sed tamen per applicationem causarum naturalium ab aliquo spiritu creato fieri possunt quantumcumque mira (quod non sufficit ad rationem miraculi, ut docet D. Thomas, I p. q. c, art. IV,) debemus attendere, vel ad ipsam substantiam rei factæ, vel ad ipsum modum faciendi. Ad ipsam substantiam rei factæ, sicut omnes illi effectus, qui per causas naturales non possunt induci sicut est resuscitatio mortui, et illuminatio cæci quando vere fiunt, aut etiam immutatio corporum cælestium. Sunt etiam alii ef-

fectus magis supernaturales, ut quod duo corpora penetrentur, et corpus humanum reddatur gloriosum, quæ D. Thomas ponit inter miracula primæ classis, I p. qu. cv, ar. VIII. Sed quia ista miracula fiunt occulte, non ita probatur per illa sensibiliter certitudo nostræ fidei sicut per miracula, quæ sensibilem mutationem faciunt in corporibus. Unde D. Thomas, III part. quæst. XLIII, art. IV, docet ex Augustino quod nulla in operibus Christi videntur esse majora, quam suscitatio mortuorum. Et similiter se habet illuminatio cæci a nativitate, unde dicitur Joannis IX: *A sæculo non est auditum, quod quis aperuit oculos cæci nati.* Quare semper invenientur aliqua miracula facta in nostra fide ita excellentia, quod similia non sunt facta unquam in alia secta, nec possunt fieri, nisi sola virtute divina; et illa sufficienter probant veritatem nostræ fidei, quia Deus non potest in confirmationem falsitatis miracula facere, sic enim speciali concursu, ad peccatum, et ad falsum confirmandum Deus concurreret. Ex modo autem faciendi miracula, etiam discerni possunt miracula vera a falsis, quia ea quæ per causas naturales, et per motum localem applicativum earum alias fieri possunt ab Angelo vel dæmone, fiunt etiam divinitus, sed excellentiori modo, scilicet non per modum localem, et applicando activa passivis, sed solo imperio, aut verbo, vel visu, quod est proprium Dei, qui dixit et facta sunt, sicut Christo imperante ventis, cessavit tempestas, et imperando leproso mundatus est, et imperando febris dimisit socrum Simonis.

XXXIII. Ad exempla vero, quæ in particulari adducuntur in argumento, negamus factam aliquando fuisse veram resurrectionem mortui, aut illuminationem cæci virtute dia-

boli, sed si quis apparenter resuscitatus est, vel non erat ille vere mortuus, sed simulatorie vel cadaver motu dæmonis erectum fuit, et videbatur ambulare, sed vero non vivebat, sicut legitur de Simone mago, quod facit hominem decollari, et postea apparuit vivus per illusionem sensuum. Unde similes mortui nec diu possunt durare, nec actiones vitales exercere. Qui autem resuscitantur virtute divina aperte visi sunt eodem modo exercere actiones vitales sicut antea, idque non ad horam, sed diu, et per multum tempus. Unde Augustinus super Joan. tract. L. loquens de Lazaro resuscitando discumbente: «Lazarus, inquit, erat unus est ex recumbentibus, vivebat, loquebatur, epulabatur, veritas ostendebatur.» Ex isto ergo exercitio vitalium actionum veritas resurrectionis ostenditur. De illuminatione cæci facta a Vespasiano constat illum non fuisse cæcum simpliciter, neque a. nativitate, sed obnubilatos habuisse oculos, ut enim ibidem refert Tacitus Vespasianus consuluit medicos, an talis cæcitas, et debilitas ope humana superabilis foret. Et medici dixerint huic non exesam vim luminis, et redituram si pellerentur obstantia. Quare illa non fuit cæci illuminatio, sed curatio oculorum ab impedimentis ad videndum, quæ arte medica licet difficulter curari poterant, sed arte dæmonis facillime procuratum est. Fortasse etiam totum illud fuit impostura aliqua Apollonii Thyanæi insignis magi Vespasiano amicissimi, cujus imposturas refert Philostractus in Apollonio, lib. v, indicatque Baronius, anno Christi 72, c. vii, tom. i. De cribro gestante aquam, dicitur illud non esse simpliciter miraculum, quia potuit per vim Angeli detineri ne aqua caderet. Et similiter ignis de cælo potest dejici per motum localem An-

geli, vel dæmonis, sicut per causas naturales dejicitur fulmen. Plaga autem mortis curanda ab antichristo non est mortui resuscitatio, sed vulnus lethale, quod potest curari aliquando medicamento occulto nobis ignoto, quod tamen a dæmone facile præstari poterit. Et multa similia sunt, quæ per applicationem causarum naturalium, ab Angelo, vel dæmone sine vero miraculo fiunt.

XXXIV. Quod vero aliqui dicebant apud Augustinum, epist. iii, quod etiam vera miracula non sufficienter ostendunt veram divinitatem, quia respectu Dei parva sunt, ridiculum est. Nam licet omne quod creatum est modicum respectu Dei, tamen quia aliqua sunt quæ sola divina potentia fieri possunt, hæc sufficienter ostendunt omnipotentiam divinam, non quia illi sint æqualia, aut non parva, sed quia nulla alia potentia fieri possunt.

XXXV. Ad confirmationem respondetur etiam modo in Ecclesia, non deesse vera miracula, quia quotidie fiunt ad invocationem sanctorum de cælo, vel servorum Dei in terra, sed simpliciter non requiruntur nova miracula pro conversione infidelium, quia modo non plantatur fides in mundo, sed plantata propagatur, unde sufficiunt miracula antiqua, de quibus ad minus per fide dignas historias, et traditionem constat, sicut apud ipsos gentiles constat de factis suorum majorum: nec oportet quod de istis miraculis constet per fidem divinam, sed per humanam, vel per experientiam; et ut dixit D. Thomas i contra gentiles, c. vi, illa manent in suo effectu, scilicet in hac conversione tot populorum quam videmus, qui per tot sæcula credunt in hanc fidem, ut jam supra ex hoc loco, et ex Cajetano ponderavimus. Huic autem operi, qui non credit, cui miraculo

crediturus est? Nec obstat quod secta Mahometis, et aliquorum similium diu duravit: dicitur enim quod hoc fuit innitendo potentiae sæculari, et favori humano, et laxando fræna deliciis, quorum totum oppositum est in fide nostra, neque illa secta per totum mundum diffusa est, et prædicata, neque a sapientibus viris approbata, et sanguine martyrum firmata, aut per rationes, et disputationes discussa, nec miraculis confirmata sicut nostra.

XXXVI. Tertio, arguitur quia testimonia prophetarum in quibus maxime nititur fides nostra, non omnino nobis constant, nec possumus certo cognoscere, an sint completa, nec quando complebuntur, ut plurima quæ continentur in Apocalypsi, et multa quæ sunt in Isaia, et aliis prophetis, quæ tanta obscuritate dicuntur, ut non possit litteraliter assignari, quid significant, quomodo, et quando complebuntur. Ergo frustra ex obscuris prophetiis probare volumus nostræ fidei certitudinem si quidem obscuritas illa non permittit nos scire, quænam sint impleta quæve implenda, sed videtur hoc esse sicut oracula falsorum deorum, quæ ambiguitate sua non intelligebantur. Imo cum aliquando Scriptura ipsa ambigue loquatur, et subintellectis quibusdam conditionibus, unde constat nobis, quod ea quæ de facto, ut proposita ab Ecclesia credimus, non sint sub tali ambiguitate dicta, imo quod ipsa promissio infallibilis assistentiæ facta Ecclesiæ non sit absoluta, sed sub aliqua ambiguitate, vel conditione aliqua subintellecta? Quod vero fuerint impletæ prophetiæ in Christo, non ita constat, cum ipse venerit in magna abjectione, et obscuritate, et sic remansit obscurum quomodo illæ prophetiæ impletæ fuerunt. Et confirmatur quia Christus venit, ut cognosceretur tamquam

Deus, et tamen sustinuit ea, quæ maxime nos elongant a cognitione Dei, quia venit in magna abjectione, et vituperio, ita ut morte turpissima condemnatus sit, et sic multis fuit occasio, ut existimarent stultum in talem credere, ergo nostra fides inconvenienti modo tradita est. Confirmatur secundo, quia res quas proponit sunt valde incredibiles, et disconformes rationi naturali, sicut ea quæ promittit nobis in vita futura, quod homines vivent similes Angelis, et modo quodam invisibili sine indigentia exteriorum rerum ut cibi, respirationis, etc. quod cremabuntur in inferno sine morte, quod corpus Christi sit in Sacramento sicut spiritus, quæ omnia lumen rationis ita dure accipit, ac si corporalia nostra mutarentur in spiritualia, quod est perdere substantiam suam, et essentiam.

XXXVII. Respondetur in oraculis prophetarum aliqua perspicue, et clare poni, alia obscure, et quæ clare ponuntur, etiam impleta dicuntur, in evangelio et historiis legitimis. Unde sæpius in evangelis dicitur: *Ut impleretur quod dictum est*, per talem, vel talem prophetam. Et multa non esse obscure dicta constat manifeste, ut de nativitate Christi ex Virgine, Isaia vii: *Ecce virgo concipiet*, etc. de miraculis Christi Isaia xxxv: *Tunc aperientur oculi cæcorum*, etc. de morte Christi, Isaia, liii: et Danielis ix, et alia multa, quæ longum esset percurre, et ad litteram satis intelligibilia sunt, de quibus extat pulcher tractatus apud S. Prosperum in libro de prædictionibus Dei par. iii, et in dimidio temperis. Quod vero aliqua obscure dicta sint non est mirum, nam etiam in libris philosophorum, et in scientiis naturalibus multa sunt valde obscura, et quæ magna indigent inquisitione et labore. Unde si terrena dicuntur nobis, et non intelligimus,

quid mirum si non statim cœlestia, apprehendamus? Si nobis non est connaturale, ut res naturales sine ulla obscuritate nobis tradantur, quomodo erit connaturale nobis, ut supernaturalia, quæ dicta sunt a prophetis in omnibus aperte dicantur, præsertim cum fides ex sua natura obscura sit, et in omnibus apertam claritatem habere, potius est præmii in patria quam meriti in via. Denique, Apocalypsim, et alias prophetias obscuras non est necesse quod omnes, et omni tempore intelligant, sufficit quod aliqui, et eo tempore quo Deus disposuerit. Unde optime Augustinus super Psalmum cxi, ad illa verba: Suscipiens mansuetos Dominus, inquit: « Honora Scripturam Dei, honora verbum Dei, etiam non apertum, differ pietate intelligentiam, noli protervus esse, accusare aut obscuritatem, aut quasi perversitatem Scripturæ perversum hic nihil est, obscurum autem aliquid est non ut tibi negetur, sed ut exerceat accepturum. » Et infra: « Noli recalcitrare adversus obscura, et dicere, melius diceretur si sic diceretur. Quando enim potes tu dicere, aut judicare quomodo dici expediat? Sic dictum est quomodo dici debuit; non corrigit æger medicamenta sua. Novit ea medicus modificare, eï crede, qui te curat. » Videndus est etiam super Psalm. cxlvii, ad illa verba: Mittit chrysellum suum sicut buccellas, ubi optime prosequitur. Quod vero dicitur, unde nobis constet hæc, aut illa sub ambiguitate non esse dicta, aut non subintellecta conditione, respondetur id constare tum ex modo loquendi, quia aliquando nullam habet improprietatem, aut tropum, sed valde manifestus est, sicut Joan. xvi, dixerunt Apostoli: *Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nulum dicis, nunc scimus, quia scis omnia, et non opus est, ut quis te in-*

*terroget*: tum ex traditione et usu, et declaratione Ecclesiæ, cui non est promissa assistentia Spiritus Sancti sub aliqua ambiguitate, quia dictum est Joan. xvi: *Quod spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*. Non posse autem docere omnem veritatem si sub ambiguitate, et aliqua conditione subintellecta esset promissus, quia tunc de nulla certificaremur. Quod vero dicitur de primo adventu Christi fuisse obscure, et latenter impletum, respondemus id quod dicit Paulus, Actorum xxvi, ad Agrippam: *Latere eum nihil horum arbitror, neque enim in angulo quidquam horum gestum est*. Et Dominus Joan. xix, dixit: *Ego palam locutus sum mundo*. Itaque in hac passione, et abjectione quæ etiam prædicta fuerat, dignitatem suam satis aperte ostendit verbis, et miraculis, et prophetarum oraculis.

XXXVIII. Ad primam confirmationem dicitur quod Christus venit, ut Deus Salvator, et satisfaciens pro peccatis, et consequenter, ut patiens, et subjectus opprobriis, et doloribus. Unde non debuit venire in manifestatione gloriæ, quia si cognovissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Nec conveniebat quod venisset ad ostendendum gloriam si veniebat ad satisfaciendum pœnaliter pro peccatis. Quod si semel pati debebat, potius erat conveniens, quod valde indigna pateretur, quia sic potius ostendebatur fortitudo divina in sustinendo tantam indignitatem. Unde dicit Tertullianus in libro de patientia: « Hinc vel maxime Pharisei Dominum agnoscere debuistis, patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret. » Videndus est D. Thomas iii part. quæst. xlvi, art. i et ii et iii, ubi pulchre ostendit convenientias passionis in Christo. Et denique maxima gratia, et liberalitas Dei in hoc enituit, ut egenus fieret propter nos

in natura assumpta, sicut dicitur ii ad Corinth. viii: *Scitis gratiam Dei, quoniam propter vos egenus factus est, ut illius inopia divites essemus*. Videatur D. Thomas ibidem quæstione xl, articulo iii. Hoc etiam conveniet ad doctrinam suam, quæ tota tendit ad ea quæ conducunt ad alteram vitam, et ad gloriam æternam. Unde debuit docere abjectionem, et contemptum omnis gloriæ temporalis, quæ impedit valde ascensionem æternæ, cum temporalia spiritualibus contrariantur, et virtus deliciis et vanitati, hæc enim virtus moderatur; ergo si hoc venit docere, oportuit et facere, alias imprudenter doceret, si careret illa virtute patiens, et sustinendi. Et in hoc maxime constabit antichristum, et omnes qui ex eo sunt falsa docere, quia maxime inhiant vanitati, et gloriæ temporali, et sic non dirigunt nos ad æterna, et ad ea quæ post hanc vitam debemus inquire.

XXXIX. Ad secundam confirmationem dicitur, illa omnia non esse incredibilia respectu omnipotentiae Dei apud quem non est impossibile omne verbum; maxime autem debet Deum, qui summe omnipotens, et magnificus est res facere in quibus excellentissima ejus potentia, et gloria ostendatur. Illa autem contradictionem non involvunt, neque mutant substantiam, et essentiam corpoream, sed qualitates, et extrinsecas perfectiones. Quod enim corpus reddatur lucidum, agile, incorruptibile non ab intrinseco, sed per gloriam, totum hoc pertinet ad qualitates. Et multo difficiliora his a gentilibus credebantur de suis diis quos ex hominibus transferri dicebant ad stellas, et ad cœlum, et commutari in sidera. Oportuit autem eos quos Deus suamet visione beatos faciet, habere in suis corporibus longe excellentiores qualitates modum-

que vivendi, quam in vita præsentis imaginari possit. Quod vero dicuntur fururi similes Angelis id erit ratione divinæ visionis in anima non quantum ad substantiam corporum, licet hæc etiam erunt perfecte subjecta spiritui, et ideo spiritualia dicuntur, et in corruptione Angelis similia.

XL. Quod si adhuc dicatur, quod non videtur conveniens credere, Deum tam multa fecisse, et passum esse propter tantam paucitatem electorum, neque enim magnus aliquis artifex in aliquo opere magnos sumptus impendit, si majori ex parte suo intento frustrandus est: at major pars hominum, imo et Christianorum damnatur, frustra ergo videtur tantum pretium a Deo effusum, et ipsam Dei vitam datam pro tam paucis hominibus.

XLI. Respondetur, quod licet pauci sint qui salvantur quantum ad numerum, sunt tamen magni in qualitate, et pretio, magnum autem pretium non solum convenienter expenditur pro multitudine, sed etiam pro pretiositate rei, etiam si parva sit, omne enim quod pretiosus est rarius esse debet. In hoc autem non frustratur Deus suo intento, quia licet exhibuerit pretium sufficiens pro omnibus propter suam maximam excellentiam, non tamen fuit ejus intentum, ut applicaretur omnibus. Unde dicitur iv Esdræ viii (licet liber non sit canonicus): *Hoc sæculum fecit Deus propter multos, futurum autem propter paucos. Quomodo interrogabis terram, et dicet tibi quoniam dabit terram multam magis, unde fiat fictile, parvum autem pulverem, unde aurum fit*. Itaque sicut non est inconveniens, quod in terra plus generetur de luto, quam de auro, ita nec quod pauciores salventur, qui sunt quasi aurum, quam quod condemnentur qui sunt quasi lutum. Et hoc fuit conveniens in

natura humana, quæ est corruptibilis, et ex se prona ad malum, et consequenter major pars corruptioni cedit, eo quod in rebus corruptibilibus defectus est, ut in pluribus, bonum autem, ut in paucioribus. E contra vero de Angelis qui sunt perfectiores, plures salvantur. Et tamen maxime lucet misericordia Dei, quod et jam ex natura corruptibili misericorditer hos paucos liberavit a qua tam multi deficiunt, id enim maxime commendat Dei misericordiam, ubi tam grandis est miseria. Videatur de hoc Div. Thomas I p. q. XXIII, art. VII. ad III.

## ARTICULUS II.

*Ostenditur fidem nostram esse veram contra Judæos.*

*Testimonium Domini fidele, justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda, Psal. XVIII.*

*Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude, Isaïæ VI.*

*Feriam domui Israel, et domui Juda fœdus novum, non secundum pactum, quod feci patribus eorum, Hierem. XXXII.*

I. Contra Judæos, et hæreticos fidei nostræ veritas probanda est per certitudinem ducendo argumenta contra ipsos ex Scripturis, et principiis fidei quæ admittunt. Sed tamen, quia multi ex ipsis Scripturas depravant, et non omnes admittunt, ideo oportet quod disputaturus contra Judæos, vel hæreticos prius statuatur, quasnam Scripturas admittant, et quare non omnes; sic enim Jacobus frater Domini cum Judæis disputaturus, ut refert beatus Clemens, libro primo recognitionum circa finem hoc primum statuit: « Requiramus, inquit, primo ex quibus potissimum Scripturis disputationem habere oporteat. » Quod si

non constet, nec aliquid certi statuatur, seu admittatur ab ipsis de Scripturis vix potest disputatio ulla cum adversariis haberi, nisi vel ostendendo talem, vel talem Scripturam pro canonica haberi apud antiquos, et apud auctores quos ipsi admittunt, aut saltem quod rationem reddant cur Scripturam istam rejiciant potius quam alias, præsertim, quia cum constet fidem traditam esse a Deo in Scriptura, si prohibito posset quis negare, vel abjicere Scripturam in partem, vel in totum, aut varias corruptelas, vel mutilationes adhibere, nec in hoc esset aliqua certa, et firma regula a Deo relicta per quam possint ista corrigi, et ad verum sensum reduci, omnia essent confusa, et esset perinde, ac nullam habere fidem. Ista autem regula non est alia quam Ecclesia, quæ in veteri lege gubernabatur per sacerdotes, quorum judicio standum erat, Deuteron. XVII. Et ad ipsos pertinebat judicare de lege, et mandato, ut habetur II Paralip. XIX. In nova autem id commissum est Petro, et ejus successoribus, Luc. XXII: *Confirma fratres tuos, etc.* Joan. XXI: *Pasce oves meas*, de quo amplius dicetur sequenti articulo. Et sic reduci debent disputatores hæreticorum, vel Judæorum, ut admittant Scripturas quas ab antiquo Ecclesia admittit. Vel si Scripturas quas Ecclesia admittit, nolint admittere Judæi, vel hæretici, saltem videndum est, an Scripturæ quas ipsi habent, et admittunt in aliquo concordent cum nostris, et saltem aliquem articulum fidei admittant, ex quo possit deduci argumentum contra illos in eo articulo quem negant, ut D. Thomas docet prima parte, q. II, art. VIII. Et constat exemplo Christi Domini qui rogatus a Sadduceis, qui non admittebant, nisi libros Moysis circa articulum resurrectionis, illos redarguit loco

perito ex eisdem libris: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, non est Deus mortuorum, sed vivorum*, Matth. XXII. Petendum est etiam ab ipsis an saltem velint admittere Scripturas in eo statu, et modo quo tempore Apostolorum habebantur, et temporibus antiquorum doctorum, ut Tertulliani, Cypriani, Athanasii, et aliorum qui cum Judæis disputabant, et tamen in Scripturarum admissione conveniebant, neque eas negabant Judæi, sed vincebantur ex illis, ut multis locis actuum Apostolorum habetur quæ infra citabimus, et ex eisdem modo etiam possunt redargui. Quod si neque in hoc velint convenire certissimum judicium est ipsos depravasse Scripturas non nos, quia cum temporibus Apostolorum, ipsi et Apostoli convenirent in Scripturis, modo nolunt in illismet antiquis convenire, sicut citantur ab Apostolis. A quo ergo habent novas istas Scripturas, et talem legem, cum careant sacerdote, iudice, et republica a quibus poscit id quod ambiguum fuerit in lege, et mandato discerni, et judicari?

II. Quod si his omnibus nolit acquiescere Judæus, vel hæreticus, sed solum suo privato spiritu, et auctoritate Scripturas admittere, vel rejicere, habendi sunt sicut ethnici, et publicani qui Ecclesiam non audiunt, et sic vel omnino relinquendi sunt, vel tractandum cum illis sicut cum gentilibus, et melius est a disputatione abstinere. Unde Tertullianus, libro de præscriptionibus, cap. XVII, optimam statuit regulam, quæ maxime observanda est in disputationibus cum hæreticis nostri temporis, qui tot Scripturarum corruptiones, mutilationes, translationes, et adjectiones faciunt: « Quoniam nihil, inquit, proficiat congressio Scripturarum nisi plane, ut aut stomachi, qui ineat eversionem,

aut cerebri. Ista hæresis non recipit quasdam Scripturas et si quas recipit, adjectionibus, et detractionibus ad disputationem instituti sui intervertit, et si recipit non recipit integras. Et si aliquatenus integras præstat nihilominus diversas expositiones commentata convertit. Quid promovebis exercitatissime Scripturarum, cum si quid defenderis negetur, ex diverso si quid negaveris defendatur? Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione, nihil consequeris, nisi bilem de blasphematione? Ille vero si quis est cujus causa in congressum descendis Scripturarum, ut eum dubitantem confirmes, ad veritatem, an magis ad hæreses devertet? Hoc ipso motus quod te videat nihil promovisse æquo gradu negandi, et defendendi diversa parte statutum. Certe de pari altercatione incertior discedet nesciens quam hæresim judicet. Hæc utique, et ipsi habent in nos retorque, necesse est enim, et illos dicere a nobis potius adulteria Scripturarum, et expositionum mendacia inferri, qui proinde sibi defendant veritatem. Ergo non ad Scripturas provocandum est, neque in his constituendum certamen in quibus, aut nulla aut incerta victoria est, aut parum certa. » Sic Tertullianus.

III. Igitur tota cum Judæis controversia ex illo unico puncto dependet, an Christus in lege promissus jam venerit, et sit illa singularis persona, quæ dicitur Jesus filius Mariæ, in hoc enim Paulus convincebat Judæos, affirmans: *Quia hic est Christus*, Actor. IX. Exinde autem facile probari poterit, quod lex antiqua per Moysen data finiri debuit in Christo, ut late prosequitur Apostolus in epistola ad Hebræos. Et secundo, quod regnum Messiae non erat futurum in sola gente Judæorum, sed in omni terra, nec delicias, et divitias terrenas pro-